



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

In Assumptione B. Mariæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

Ardens & affecta locutio, quæ de puritatis amore refusa, promittit quod implere non potest. Nihil enim amanti difficile esse videtur. Quis desperare debeat, tanta peccatrice non solum veniam, sed & gloriam consequente? Ipsa hodie intercedat pro peccatis nostris, & placatum nobis reddat iudicem nostrum amicum* suum, qui est super omnia benedictus Deus in sæcula, AMEN.

Amanti nihil difficile.

* *al. sponsum.*

IN ASSUMPTIONE B. MARIÆ.

S E R M O I.

Virgo hodie gloriosa cælos ascendens, supernorum gaudia civium copiosis sine dubio cumulavit augmentis. Hæc est enim cuius salutationis vox & ipsos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viscera claudunt.^a Quod si parvuli necdum nati anima liquefacta est, ut Maria locuta est: quid putamus quænam illa fuerit cœlestium exultatio, cum & vocem audire, & videre faciem, & beata eius frui præsentia meruerunt? Nobis verò charissimi, quæ in eius assumptione solennitatis occasio, quæ causa lætitiæ, quæ materia gaudiorum? Mariæ præsentia totus illustratur orbis, adeò ut & ipsa jam cœlestis patria clarius rutilet virgineæ lampadis irradiata fulgore. Merito proinde resonat in excelsis gratiarum actio & vox laudis, sed plangendum nobis quam plaudendum magis esse videtur. Quantum enim de eius præsentia cœlum exultat, nunquid non consequens est ut tantum lugeat hic noster inferior mundus eius absentiam? Cesset tamen querela nostra, quia nec nobis hic est manens civitas; sed eam inquirimus ad quam hodie Maria benedicta pervenit. In quam si conscripti cives sumus dignum profecto est etiam in exilio, etiam super flumina Babylonis eius nos recordari, eius communicare gaudiis, eius participare lætitiâ, maximèque eam quæ tam copioso impetu lætificat hodie civitatem Dei; ut sentiamus & ipsi stillicidia stillantia super terram. Præcessit nos Regina nostra, præcessit, & tam gloriosè suscepta est, ut fiducialiter sequantur Dominam servuli clamantes, Trahe nos post te; in odore unguentorum tuorum curremus. Advocatam præmisit peregrinatio nostra: quæ tanquam Iudicis mater, & mater misericordiæ, suppliciter & efficaciter salutis nostræ negocia pertractabit.

^a *Luc. i. e. Exultatio cœlitum in assumptione Mariæ.*

B. Virgo in cœlum præcessit, & nos ad sequendum animat.

Preciosum hodie munus terra nostra direxit in cœlum, ut dando & accipiendo scælici amicitiarum scedere copulemur humana divinis, terrena cœlestibus, ima summis. Illò enim ascendit fructus terræ sublimis, unde data optima, & dona perfecta descendunt. Ascendens ergo in altum Virgo beata dabit ipsa quoque dona hominibus. Quidni daret? Siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas. Regina cœlorum est, mi-

sericors est. Denique mater est unigeniti Filii Dei. Nihil enim sic potest potestatis eius seu pietatis magnitudinem commendare: nisi forte aut non creditur Dei Filius honorare Matrem: aut dubitare quis potest omnino in affectum charitatis transisse Mariæ viscera, in quibus ipsa quæ ex Deo est charitas, novem mensibus corporaliter requievit.

Et hæc quidem propter nos dixerim, Fratres, sciens difficile esse, ut in tanta inopia charitas illa perfecta non quærens quæ sua sunt, valeat inveniri. Ut tamen interim sileam beneficia quæ pro illius glorificatione consequimur; si eam diligimus, gaudebimus utique quia vadit ad Filium. Plane, inquam, congratulabimur ei, nisi fortè (quod absit) inventrici gratiæ omnimodis inveniamur ingrati. Quem enim in castellum mundi huius intrantem prius ipsa susceperat; ab eo suscipitur hodie sanctam ingrediens civitatem. Sed cum quanto putas honore, cum quanta putas exultatione, cum quanta gloria? Nec in terris locus dignior uteri virginæ templo, in quo Filium Dei Maria suscepit, nec in cœlis regali folio, in quo Mariam hodie Mariæ filius sublimavit. Fœlix nimirum utraque susceptio: ineffabilis utraque, quia utraque inexcogitabilis est. Ut quid enim ea hodie in Ecclesiis Christi Evangelica lectio recitatur, in qua mulier benedicta in mulieribus excepisse intelligitur Salvatorem? Credo ut hæc quam celebramus, ex illa susceptione aliquatenus aestimetur, imò ut juxta illius inæstimabilem gloriam inæstimabilis cognoscatur & ista. Quis enim etiam si linguis hominum Angelorumque loquatur, explicare queat quemadmodum superveniente Spiritu, obumbrante virtute Altissimi, caro factum sit Verbum Dei, per quod facta sunt omnia & Dominus maiestatis, quem non capit universitas creaturæ, intra virginea sese clausit viscera factus homo?

Sed & illud quis cogitare sufficiat, quàm gloriosa hodie mundi Regina processerit, & quanto devotionis affectu tota in eius occursum cœlestium legionum prodierit multitudo, quibus ad thronum gloriæ cantibus fit deducta, quam placido vultu, quàm serena facie, quàm divinis amplexibus suscepta à Filio, & super omnem exaltata creaturam, cum eo honore quo tanta mater digna fuit, cum ea gloria quæ tantum decuit filium? Felicia prorsus oscula labiis impressa lactentis, cui virgineo mater applaudebat in gremio. Verum nunquid non feliciora censebimus quæ ab ore sedentis in dextera Patris hodie in beata salutatione suscepit, cum ascenderet ad thronum gloriæ, epithalamium canens & dicens: *Osculetur me osculo oris sui?* Christi generationem, & Mariæ assumptionem quis enarrabit? Quantum enim gratiæ in terris adepta est præ cæteris, tantum & in cœlis obtinet gloriæ singularis. Quòd si oculus non vidit, nec auris

audivit,

Gloria assumptionis Virg. Deiparæ.

Ratio lectionis Evangelicæ.

Regina mundi quanta gloria & pompa hodie processerit.

Christi generatio & Mariæ assumptio inenarrabilis.

In Assumptione B. Mariæ, Serm. II. 345

audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se: quod præparavit gignenti se, & (quod omnibus est certum) diligenti præ omnibus, quis loquatur? Felix planè Maria, & multipliciter felix, five cum excipit Salvatorem, five cum à Salvatore suscipitur. Utrobique mira dignitas Virginis Matris: Utrobique amplectenda dignatio maiestatis. *Intravit, inquit^b, IESVS in quoddam castellum, & mulier quædam excepit illum in domum suam.* Sed laudibus magis vacandum est, quod festivis præconiis hæc dies debeat. Quia verò copiosam nobis materiam lectionis huius verba ministrant; cras quoque convenientibus nobis in unum, communicandum erit sine invidia quod fuerit desuper datum, ut in memoria tantæ Virginis non modo affectus devotionis excitetur, sed & mores ædificentur ad profectum conversationis, in laudem & gloriam Filii eius Domini nostri, qui est super omnia DEUS benedictus in sæcula.

IN ASSUMPTIONE B. MARIE,

De Evangelica Lectione,

SERMO II.

Intravit IESVS in quoddam castellum^a.

^a Luc. 10.

Opportunè satis hoc mihi in loco Prophetica exclamatio assumenda videtur^b. *O Israel quam magna est domus Domini, & ingens locus possessionis eius?* An non ingens, cuius comparatione castellum dicitur terræ huius spatiosissima latitudo? An non ingens patria & regio inæstimabilis, quando ab eà Salvator adveniens, cum ingrederetur orbem terræ, introiret castellum? Nisi fortè castellum quis aliud intelligendum putet, quam atrium fortis armati, principis mundi huius, cuius vasa diripere fortior supervenit. Festinemus in illam ingredi beatitudinis amplitudinem, Fratres, ubi nemo alium coangustat: ubi possimus cum omnibus sanctis comprehendere quænam sit longitudo, & latitudo, sublimitas & profundum. Neque id desperemus, quandoquidem ipse cœlestis habitator patriæ, etiam & Creator, nostri huius castelli angustias non refugit.

^b Baruch. 3. 6

Sed quid introiisse eum dicimus in castellum? Etiam in angustissimum virginalis uteri diversorium introivit. Denique & *mulier quædam excepit illum in domum suam.* Felix mulier, quæ non jam exploratores Hierico, sed potius fortissimum illum expoliatorem stulti illius, qui verè ut luna mutatur, non legatos Jesu filii Nave, sed ipsum magis suscipere meruit verum Jesum Filium Dei. Felix, inquam, mulier; cuius domus Salvatore suscepto inventa est munda quidem; sed planè non vacua. Quis enim

enim

Maria plena gratia, ut in nos redundat.

Castelli mystica expositio.

c Prov. 4.

*d Esa. 28. d
e Deut. 3 2. b*

f 1, Cor. 9. d

*g Roma. 6. b
Qualis corpori
adhibenda
custodia.*

*Clades castro
nostro per ty-
rannidem da-
monis illata.*

enim vacuum dixerit, quam salutat Angelus *gratia plenam*? Neque hoc solum: sed adhuc quoque in eam superventurum asserit Spiritum sanctum. Ad quid putas, nisi ut etiam superimpleat eam? Ad quid nisi ut adveniente jam Spiritu plena, sibi eodem superveniente, nobis quoque superplena & supereffluens fiat? Utinam fluant in nos aromata illa, charismata scilicet gratiarum: ut de plenitudine tanta omnes accipiamus. Ipsa nempe mediatrix nostra, ipsa est per quam suscepimus misericordiam tuam Deus, ipsa est per quam & nos Dominum Jesum in domos nostras excipimus. Et nobis enim singulis castra sunt singula, & singula domus: & sapientia pulsat ad ostia singulorum. Si quis ei aperuerit, introibit, coenabitque cum eo. Est vulgare proverbium, quod multorum in ore, magis autem in corde versatur: Bonum, inquiunt, servat castellum, qui custodierit corpus suum. Sapiens tamen non sic, sed magis inquit *c*. *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit.*

Esto tamen, cedendum sit multitudini: bonum castrum custodiet, qui custodierit corpus suum. Illud sanè quærendum, quænam huic sit adhibenda custodia castro. Rectène custodisse tibi videtur anima illa corporis sui castrum, cuius membra velut coniuratione facta inimico eius dominium tradidere? Sunt enim qui cum morte foedus inierunt, pactum pepigerunt cum inferno *d*. *Incrassatus est*, inquit, *e dilectus, & recalcitravit, incrassatus, impinguatus, dilatatus.* Hæc planè custodia, quæ laudatur à peccatoribus in desideriis carnis suæ. Quid vobis videtur, fratres? Num & in hac parte cedendum est multitudini? Absit. Paulum magis interrogemus: utpote ducem strenuum militiæ spiritualis. Dic nobis Apostole, quæ sit tui custodia castri? Ego, ait *f*, *sic curro non quasi incertum, sic pugno non quasi aerem verberans. Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.* Et alio in loco: *Non regnet*, inquit *g*, *peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum concupiscentiis eius.* Utilis profecto custodia, & felix anima quæ sic custodierit corpus suum, ut nunquam sibi vendicet illud inimicus. Fuit enim aliquandò cum hoc meum castrum tyrannidi suæ impius ille subiecerat, sibi potestativè membris imperans uniuersis. Quantum eo nocuerit tempore, præsens adhuc indicat desolatio & egestas. Heu nec continentia murum in eo, nec patientiæ antemurale reliquit. Exterminavit vineas, messuit segetes, arbores extirpavit, quippe etiam oculus iste meus deprædabatur animam meam. Denique nisi quia dominus adjuvit me: paulominus habitasset in inferno anima mea. Dico autem infernum inferiorem, ubi nulla confessio, unde nemini datur exire.

Cæterum

In Assumptione B. Mariæ, Serm. II. 347

Cæterum etiam tunc nec carcer illi deerat nec infernus. Ab ipso nempe conjurationis & perditionis pessimæ deprehensa principio : non alibi quam in domo propria carcerali est mancipata custodia : nec aliis quam suæ illius familiæ data tortoribus. Erat enim illi conscientia carcer, erant tortores ratio & memoria : atque hi quidem crudeles, austeri & immisericordes : sed longè minus rugientibus illis præparatis ad escam : quibus erat jamiæque tradenda. Sed benedictus DEUS qui non dedit me in captionem dentibus eorum. Benedictus, inquam, Dominus qui visitavit & fecit redemptionem. Cum enim inferiori eam carceri tradere malignus & tortoribus acceleraret, sed & castrum ipsum ignibus cremare perpetuis, ut digna periuris fieret retributio membris : fortior supervenit. Intravit in castellum Jesus : qui fortem alligans, eius vasa diripuit : ut quæ prius erant in contumeliam, faceret in honorem. Contrivit portas æreas, & confregit ferreos vectes : vinculum de domo carceris & umbra mortis educens. Porrò egressus eius in confessione. Ipsa est enim scopa qua mundatus carcer & ornatus, deinceps regularium institutionum junctis quibusdam pulchrè virentibus de carcere redit in domum. Habet ergo mulier jam domum suam, habet ubi suscipiat eum cui super tantis beneficiis extat obnoxia. Alioquin væ ei si eum excipere renuit, si non detinet, si non cogit manere secum, quoniã advesperascit. Rediens enim qui prius eiectus est, mundatam quidem & ornatam domum invenit, sed vacantem.

Relinquitur siquidem mulieri domus sua deserta, quam Salvatoris hospitio dignam exhibere neglexit. Quomodo? inquis: Poteritne domus mundata confessione priorum delictorum, & observatione regularium institutionum ornata, indigna adhuc judicari habitaculo gratiæ, Salvatoris ingressu? Poterit sine dubio, si superficie tenus emundata, & junctis (ut dictum est) strata virentibus, interius plena sit luto. Quis enim suscipiendum Dominum arbitretur in dealbatis mortuorum sepulchris, quæ videntur à foris speciosa, intrinsecus autem spurcitia & sanies universa replevit? Esto siquidem ut aliquando tanquam ipsa superficie delectatus incipiat primum apponere pedem ei qui huiusmodi est, primam aliquam visitationis suæ gratiam indulgendo : nunquid non resiliet illico cum indignatione? Nunquid non effugiet clamitans; Infixus sum in limo profundi : & non est substantia? Virtutis enim species & non veritas, quasi qualitas est, non substantia. Neque verò ingressum eius exterioris potest conversationis tenuis superficies sustinere : quoniam omnia penetrat, & in intimis cordibus eius habitatio est. Quòd si nequaquam Spiritus disciplinæ subditum manifestè peccatis corpus inhabitat^b, fictum utique non modo declinat, sed & effugit, atque

Peccatoris carcerem, tortores & infernū depingit.

Inferno obnoxii, Redemptoris beneficio evasimus.

Hypocritis & sicte penitentia redargutio.

Psal. 68. a

h Sap. 1. a Peccata non superficie te-

*nus radenda
sed intrinsecus
eradicanda.*

atque elongatur ab eo. An verò aliud est quam fictio execranda, si peccata superficie tenus radas, non intrinsecus eradicat? Certus esto quoniam pullulabit uberius: & emundatam, sed vacantem domum cum nequioribus septem, qui eiectus fuerat hostis malignus intrabit. Reversus enim ad vomitum canis, odibilis erit multò plus quam antè: & fiet Filius gehennæ multipliciter, qui post indulgentiam delictorum in eisdem denovo fordes incidit, ut sus in volutabro luti.

*NOTA.
Exterioris ho-
minis cura &
interioris ne-
glectus quam
multos fallat
& arguet co-
ram Deo.*

i Osee. 7. c

k Apoc. 3. d

Vis videre mundatam, & vacantem domum? Hominem intueri qui confessus deseruit manifesta peccata præcedentia ad iudicium, & nunc solas vestet manus ad opera mandatorum, corde penitus arido, ductus consuetudine quadam, planè quasi vitula Ephraim docta diligere trituram. Exteriorum quæ ad modicum valent, ne unum jota præterit, sed camelum glutit dum culicem liquat. In corde enim servus est propriæ voluntatis, cultor avaritiæ, gloriæ cupidus, ambitionis amator, aut hæc omnia aut singula quæque intus vitia fovens: & mentitur iniquitas sibi: sed Deus non irridetur. Videas enim interdum sic palliatum hominem, ut feducat etiam semetipsum, penitus non attendens vermem qui interiora depascitur. Manet enim superficies, & salva sibi omnia arbitratur. *Comederunt (ait Propheta) alieni robur eius: & ignoravit.* Dicit, quia dives sum, & nullius egeo, cum sit pauper & miser & miserabilis^k. Nam & inventa occasione ebullire sanicem quæ latebat in ulcere, & excisam non extirpatam arborem in sylvam pullulare videas densiorem. Quod periculum si volumus declinare, securim ponamus necesse est ad radices arborum, non ad ramos. Non sola inveniatur in nobis exercitatio corporalis ad modicum valens: sed inveniatur utilis ad omnia pietas, & exercitium spirituale.

*Ad Martham
spectat ornare
domum, ad
Mariam im-
plere, ad La-
zarum mun-
dare.*

*Lazarus gerit
formam pœ-
nitentis.*

Mulier, inquit, Martha nomine excepit illum in domum suam, & huic erat soror nomine Maria. Sorores sunt, & debent esse contubernales. Occupatur hæc circa frequens ministerium, illa dominicis est intenta sermonibus. Ad Martham spectat ornatus, sed impletio ad Mariam. Vacat enim Domino, ut non sit domus vacans. Sed mundationem cui possumus attribuere? Erit enim, si & hoc invenerimus, domus in qua Salvator suscipitur, & munda, & ornata, & non vacans, Demus eum Lazaro, si & vobis ita videtur. Et ei siquidem fraternitatis jure cum sororibus est domus ita communis. Dico autem Lazarum quem quatruiduanum jamiamque foetentem à mortuis excitat vox virtutis: ut videatur satis congruè formam gerere pœnitentis. Intret ego domum Salvator, & frequenter visitet eam, quam pœnitens Lazarus mundat, ornat Martha, & Maria replet internæ dedita contemplationi.

Sed

In Assumptione B. Mariæ, Serm. II. 349

Sed forte curiosus quisquam requirat cur in præsentī Evangelica lectione nulla prorsus lazari mentio fiat. Arbitror sanè ne id quidem, à proposita similitudine dissidere. Virginalē enim domum intelligi volens Spiritus, siluit non incongruè pœnitentiā, quæ malum utique comitatur. Absit enim ut proprii quicquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, ut in ea proinde scopa Lazari quæreretur. Quòd si originalem à parentibus maculam traxit, sed minus à Hieremia sanctificatam in utero, aut non magis à Joanne Spiritu sancto repletam credere prohibet pietas Christiana. Hæc enim festis laudibus nascens honoratur. Postremò cum omnimodò constet ab originali contagio sola gratia mundatam esse Mariam: quippe cum & nunc in baptisinate sola hanc maculam lavet gratia, & sola eam raserit olim petra circuncisionis: ut omninò pium est credere, proprium Maria delictum non habuit, nihilominus ab innocentissimo corde etiam pœnitentiā longè fuit. Sit ergo Lazarus apud eos quorum necesse est ab operibus mortuis conscientias emundari: secedat inter vulneratos dormientes in sepulchris, ut in thalamo virginali inveniantur Martha & Maria tantum. Ipsa est enim quæ Elizabeth gravidæ & grandævæ quasi mensibus tribus humili deservivit officio, ipsa verba omnia quæ de Filio dicebantur, conservabat confers in corde suo^m.

Privilegium sanctificationis non minus, imò magis tribuendum B. Virgini, quam leremie, aut Ioanni.

Propriū Maria delictum non habuit.

*l Luc. 1. f
m Luc. 2. c*

Neminem ergò moveat quòd suscipiens mulier Dominum, non Maria, sed Martha vocatur: quando in hæc una & summa Maria, & Martha negotium, & Mariæ non ociosum ocium invenitur. Omnis quidem gloria filiæ regis ab intus, nihilominus in fimbriis aureis circumamicta est varietate. Non est de numero fatuarum virginum prudens Virgo. Lampadem habet, sed in vase oleum portat. An fortè excidit vobis Evangelica illa parabola, quæ fatuas virgines prohibitas narrat ab introitu nuptiarum? Erat equidem domus earum munda, virgines enim erant. Erat ornata, quia simul omnes, id est fatuæ cum prudentibus lampades ornaverunt: sed erat vacans, quia in vasis suis oleum non acceperunt. Hinc est quòd nec ab eis suscipi in domos suas, nec admittere eas dignatur sponsus cœlestis ad Nuptias. Non sic mulier illa fortis, quæ serpentis caput contrivit. Habes enim post multa in laudibus eius, quia non extinguetur in nocte lucerna ipsius. In sugillationem hoc dicitur fatuarum, quæ veniente media nocte sponso, conqueruntur sero & dicunt P: *Quia lampades nostræ extinguuntur.* Processit igitur gloriosa Virgo, cuius lampas ardentissima ipsis quoque Angelis lucis miraculo fuit, ut dicerent I: *Quæ est ista quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol?* Clarius enim cæteris rutilabat, quam replevit oleo gratiæ

In Maria Deipara & Martha negotiū, & Maria otium invenitur.

**n Matt. 25.*

*o Prov. 31. b
p Matt. 25. a*

q Cant. 6. c

gratiæ præ participibus suis CHRISTUS JESUS filius eius Dominus noster.

IN ASSUMPTIONE VIRG. DEIPARÆ.

SERMO III.

Intravit JESUS in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam^a.

^a Luc. 10. 8

^b Gen. 29.

^c 1. Cor. 6. d

^d Sap. 9. d

Quid est, Fratres, quod è duabus fororibus altera tantum Dominum legitur excepisse, & ea ipsa quæ videtur inferior? Optimam enim partem elegit Maria, teste ipso quem Martha suscepit: sed prior natu Martha videtur, & salutis initium sibi magis actio, quam contemplatio noscitur vendicare. Laudat Christus Mariam, sed à Martha suscipitur. Amat Rachelem Jacob, sed Lia supponitur ignorantem. Si de fraude queritur, audit non esse consuetudinis ut juniores prius tradantur ad nuptias^b. Quod si luteam hanc cogites domum, facile erit nosse quemadmodum in ea Dominum Martha magis excipiat quàm Maria. Quod enim ait Apostolus^c: *Glorificate & portate Deum in corpore vestro*: Martha dicitur, non Mariæ. Hæc nimirum corporis utitur instrumento, cum illi potius sit impedimento. Denique *corpus*, inquit^d, *quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem*, Nunquid & operantem? Martha igitur in domum suam excepit Salvatorem in terris, Maria potius cogitat quemadmodum suscipiatur ab eo in domo non manu facta, æterna in cælis. Fortè tamen & ipsa Dominum suscepisse videtur, sed in spiritu. Dominus enim spiritus est.

Huic, inquit, (haud dubium quin Marthæ) *soror erat nomine Maria; quæ etiam sedens secus pedes IESU, audiebat verbum illius*. Vides quod utraque suscepit verbum, hæc in carne, illa in voce. *Martha autem sa- ragebat circa frequens ministerium. Quæ stetit & ait, Domine, non est tibi cura quod soror mea reliquit me solam ministrare?* Putas in domo in qua Christus suscipitur, vox murmurationis audietur? Felix domus, & beata semper congregatio est, ubi de Maria Martha conqueritur. Nam Mariæ Martham æmulari profus indignum, profus illicitum est. Alioquin ubi legitur Mariam causantem, quia soror mea reliquit me solam vacare? Absit, absit, ut qui Deo vacat, ad tumultuosam aspiret fratrum officialium vitam. Martha semper insufficiens sibi & minus idonea videatur, aliisque magis id operis quod administrat, optet imponi. Respondit autem ei *Iesus; Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima*. Vide prærogativam Mariæ, quem in omni causa habeat advocatum. Indignatur siquidem Phariseus, conqueritur soror, etiam Discipuli murmurant; ubi que

Felix domus & congregatio, ubi de Maria Martha conqueritur.

Maria Christum habet advocatum.

In Assumptione B. Mariæ, Serm. III. 351

ubique Maria tacet, & pro ea loquitur Christus. *Optimam*, inquit *partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea* in æternum. Hoc unum illud necessarium est, hæc una quam Propheta tam sedulo requirebat: *Vnam*, inquit ^e, *petii à Domino, hanc requiram.*

e Psal. 26. b

Quid tamen sibi vult, Fratres, quòd *optimam partem* Maria dicitur elegisse? Ubi jam erit, quod adversus eam proferre solemus, si quando forte administrantis Marthæ turbationem, inæqualitatem dijudicare voluerit: *Melior est iniquitas viri, quàm benefaciens mulier* ^f? Ubi erit & illud: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus* ^g? Et illud: *Qui maior est vestrum, erit minister vester* ^h? Postremò, quæ consolatio est laboranti, quasi in eius sugillationem, partem sororis attollere? Unum ergo arbitror è duobus, ut aut de electione Maria laudetur, quòd pars ipsa, quantum in nobis est, sit omnibus eligenda: aut certè, ut neutrum dicatur defuisse, nec in partem quamlibet præcipitasse sententiam, sed ad obedientiam præceptoris in utrumlibet sit parata. Quis enim sicut David fidelis ingrediens, egrediens, & pergens ad imperium regis? Denique *paratum*, inquit ^k, *cor meum, paratum cor meum*, non semel tantum, sed & secundo, & vacare tibi, & proximis ministrare. Hæc planè pars optima, quæ non auferetur. Hæc mens optima, quæ non mutabitur quocunque vocaveris eam. *Bonum*, inquit ^l, *acquirit gradum, qui benè ministraverit*: forte meliorem qui benè vacaverit Deo; optimum autem qui perfectus est in utroque. Unum adhuc dico, si tamen id de Martha licet suspicari. Nónne enim quasi ociosam reputasse videtur, quam sibi dari petiit adjutricem? Sed carnalis est, & omninò non percipit quæ sunt spiritus DEI, si quis fortè vacantem animam suam de vacatione redarguit. Audiatur igitur optimam esse hanc partem, quæ maneat in æternum. Nunquid non rudis quodammodò videtur anima quæ divinæ contemplationis penitus experta, illam intravit regionem, ubi hoc unum omnium opus, unum studium, eadem vita.

Optima pars
quæ.

f Eccli. 24. c

g Ioan. 12. d

h Matt. 23. d

Vita mixta,

quæ contem-

plativa iun-

git Activam

commendatio.

i 1. Reg. 22. c

k Psal. 56. b

l 1. Tim. 3. c

Sed consideremus, Fratres, quemadmodum in hac domo nostra tria hæc distribuerit ordinatio charitatis, Marthæ administrationem, Mariæ contemplationem, Lazaro pœnitentiam. Habet hæc simul quæcunque perfecta est anima: magis tamen videntur ad singulos singula pertinere, ut alii vacent sanctæ contemplationi, alii dediti sint fraternæ administrationi, alii in amaritudine animæ suæ recogitent annos suos tantquam vulnerati dormientes in sepulchris. Sic planè, sic opus est, ut Maria piè & sublimer sentiat de Deo suo, Martha benignè & misericorditer de proximo, Lazarus miserè & humiliter de seipso. Gradum suum quisque consideret ^m. *Si inventi fuerint in civitate hac Noe, Daniel,*

Religiosa do-

mus habent

Marthæ, Ma-

riam, & La-

zarum, id est,

alii vacant

administra-

tioni, alii con-

templationi,

alii compun-

ctiōni.

m Ezecl. 14. d

XX 3

Iob,

Iob, ipsi iustitia sua liberabuntur, ait Dominus, sed filium aut filiam non liberabunt. Nemini nos blandimur, utinam nec vestrum quispiam se seducat. Quibus enim nulla credita est dispensatio, administratio nulla commissa: his omnino sedendum erit aut secus pedes Jesu cum Maria, aut certè cum Lazaro intra septa sepulchri. Quidni erga multa turbetur Martha, quæ sollicita est pro multis? Tibi ergo, cui necessitas hæc non incumbit, è duobus unum est necessarium aut non turbari penitus, sed delectari magis in Domino: aut si id necdum potes, turbari non erga plurima, sed (ut de se Propheta loquitur ²) ad teipsum.

nPsal. 41. b

NOTA.
Religiosis ab officio & cura vacantibus quid incumbat.

Utiles cautela pro Martha: seu actioni & ministerio mancipatis.

*o Cant. 2. c

Praelati Marthe officio funguntur.

Iterum dico, ne quis de ignorantia habeat excusationem. Oportet te, Frater, ad quem de fabricanda seu regenda inter undas diluvii arca nihil spectat, aut virum esse desideriorum, ut Daniel erat: aut cum beato Job virum dolorum, & scientem infirmitatem. Alioquin vereor ne tepidum te & nauseam provocantem evomat ex ore suo, qui te invenire cupit aut sui consideratione calidum & charitatis igne flagrantem; aut tua ipsius cognitione frigidum, & aqua compunctionis ignita diaboli jacula restinguentem. Sed & ipsam quoque Martham admonitam esse necesse est, id maximè quæri inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Erit autem fidelis, si neque quæ sua sunt quærat, sed quæ Jesu Christi, ut sit intentio pura: nec suam faciat, sed Domini voluntatem, ut sit actio ordinata. Sunt enim quorum non simplex est oculus, & recipiunt mercedem suam. Sunt qui feruntur propriis motibus animorum, & contaminata sunt universa quæ offerunt, quippe cum voluntates eorum inveniuntur in eis. Veni nunc mecum ad nuptiale carmen, & consideremus quemadmodum sponsus sibi sponsam vocat, nec ullum omiserit ex his tribus, nec addiderit ultrà: *Surge, inquit, propera amica mea, formosa mea, columba mea, & veni.* An non *amica* est quæ dominicis lucris intentata, fideliter ipsam quoque pro eo ponit animam suam? Quotiens enim pro uno ex minimis eius spirituale studium interponit, totiens pro eo spiritualiter ponit animam suam. An non *formosa* quæ revelata facie gloriam Domini speculando, in eandem imaginem transformatur de claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu? An non *columba*, quæ plangit & gemit in foraminibus petrae, in cavernis maceriae, tanquam sepulta sub lapide?

Mulier, ait, Martha nomine excepit eum in domum suam. Certum est hulus tenere locum fratres officiales, quos fraternæ charitatis intuitus variis administrationibus deputavit. Utinam autem & ego ipse inter dispensatores fidelis merear inveniri. Quibus enim convenientius videtur aptandum quod Dominus ait, *Martha, Martha, sollicita es,* quàm Prælati-

tis,

In Assumptione B. Mariæ, Serm. III. 353

tis, si tamen in sollicitudine præsumunt? Aut quis turbatur erga plurima, nisi cui & Mariæ vacantis & Lazari pœnitentis, sed & ipsorum quibus onera sua partitur, universa incumbit sollicitudo? Vide Martham sollicitam, vide Martham erga plurima turbatam, Apostolum loquor, qui Prælatos sollicitudinis admonens, gerit ipse sollicitudinem omnium Ecclesiarum: *Quis infirmatur, inquit P, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* Suscipiat igitur Martha Dominum in domum suam, cui nimirum credita est dispensatio domus. Mediatrix est, ut sibi pariter & subiectis salutem obtineat, suscipiat gratiam: sicut scriptum est *9: Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam.* Suscipiant & cæteri coadiutores eius singuli pro qualitate ministerii sui, excipiant Christum, serviant Christo, ministrent ei in membris suis: ille in infirmis fratribus, ille in pauperibus, ille in hospitibus & peregrinis.


Quibus ita sollicitis circa frequens ministerium, videat Maria quemadmodum vacet, & videat quoniam suavis est Dominus. Videat, inquam, quàm devota mente, quàm tranquillo tedeat animo secus pedes JESU, providens eum semper in conspectu suo, & verba ex ore eius excipiens, cuius & aspectus delectabilis, & eloquium dulce. Diffusa est enim gratia in labiis eius, & est speciosus forma præ filiis hominum, imo etiam super omnem gloriam Angelorum. Gaude & gratias age Maria, quæ partem optimam elegisti. Beati enim oculi qui vident quæ tu vides, & aures quæ merentur audire quod audis. Beata planè quæ venas fufurri divini percipis in silentio, in quo utique bonum est homini Dominum expectare. Simplex esto, non tantum sine dolo & simulatione, sed & absque multiplicitate occupationum, ut tecum sit fermocinatio eius, cuius & vox dulcis, & facies decora. Unum cave, ne abundare incipias in sensu tuo, & velis plus sapere quàm oportet sapere: ne fortè dum lucem sectaris, impingas in tenebras, illudente tibi dæmonio meridiano: de quo non est huius temporis disputare. Nam Lazarus quò devenit? Ubi posuistis eum? Sorores alloquor, quæ sepelierunt fratrem prædicatione & ministerio, & exemplo & oratione. Ubi ergo posuistis eum? Absconditus est fossa humo, sub lapide jacet, non facile invenitur. Propterea non erit incongruum quatruiduano quartum reservare sermonem ut juxta Salvatoris exemplum audientes *r*: Ecce quem amas, infirmatur, & nos maneamus hic die isto.

p2. Cor. 11. 8

9 Psal. 71. 3

Vtilis, & præclara cautio pro Magdalena, seu his qui vitæ contemplativa vacant.

r Ioan. 11. 2



IN FESTO

IN ASSUMPTIONE B. MARIE.

S E R M O . IV.

TEmpus loquendi est omni carni, cum assumitur incarnati Verbi Mater in cœlum; nec cessare debet à laudibus humana mortalitas, cum hominis sola natura supra immortales spiritus exaltatur in Virgine. Sed de eius gloria nec silere devotio patitur, nec dignum aliquid sterilis concipere cogitatio, aut inerudita potest locutio parturire. Hinc est quòd & ipsi cœlestis curiæ principes in consideratione tantæ novitatis clamant non sine admiratione ^a: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens?* Ac si manifestius dicant: Quanta est hæc, & unde ei ascendenti utique de deserto affluentia tanta deliciarum? Nec enim pares inveniuntur deliciae vel in nobis quos in civitate Domini lætificat fluminis impetus, qui à vultu gloriæ voluptatis gloria potamur. Quæ est ista quæ de sub sole (ubi nihil est nisi labor & dolor, & afflictio spiritus) ascendit deliciis spiritualibus affluens? Quidni delicias dixerim virginitatis decus cum munere fœcunditatis, humilitatis insigne, distillantem charitatis favum, misericordiæ viscera, plenitudinem gratiæ, prærogativam gloriæ singularis? Ascendens igitur de deserto Regina munci, etiam Angelis sanctis, ut canit Ecclesia, *speciosa facta est & suavis in deliciis suis*. Definant tamen deserti huius mirari delicias, quia Dominus dedit benignitatem, & terra nostra dedit fructum suum ^b. Quid mirantur de terra deserta Mariam ascendere deliciis affluentem? Mirentur potius pauperem Christum de cœlestis regni plenitudine descendentem. Longe enim ampliori miraculo dignum videtur Dei Filium paulominus ab angelis minorari quàm Dei matrem super Angelos exaltari. Illius siquidem exinanitio, facta est repletio nostra: illius miseriæ, mundi deliciae sunt. Denique cum dives esset, propter nos pauper factus est ^c, ut nos eius inopia ditaremur. Sed & crucis ignominia, credentium facta est gloria.

Adhuc autem & ad monumentum properat vita nostra, ut quatri-duanum reducat à monumento: & eum de quo vobis hodie (si meminit charitas vestra) sermo debetur: Lazarum quærit, ut quærat, & inveniatur à Lazaro. In hoc enim est charitas, non quasi nos dilexerimus DEUM, sed quia ipse prior dilexit nos. Age igitur Domine, quære quem amas, ut & amantem facias & quærentem. Quære ubi posuerunt eum, jacet enim clausus, ligatus, oneratus. Jacet in ergastulo conscientiæ, tenetur vinculis disciplinæ, & tanquam lapide superposito premitur & opprimitur onere pœnitentiæ, maxime quòd desit interim fortis ut mors dilectio, & charitas omnia sustinens, & in his omnibus jam fœtet Domine: quatri-

^a Cant. 8. a

Angeli admirabundi in ascensu Virg.

^b Psal. 84. b
Magis tamen admirandus Christi de Cœlo descensus.

^c 2. Cor. 8.

Lazari sepulchri consideratio tropologica.

In Assumptione B. Mariæ, Serm. IV. 355

quatruiduanus est enim. Credo jam multorum ingenia prævolant, ut intelligant quem velim dicere Lazarum. Eum sine dubio, qui nuper peccato mortuus fodit sibi parietem ^d, ut videat obominationes multas & malas pravi & inscrutabilis cordis sui, & juxta Prophetam alium ^e ingressus est in petram absconditus fossa humo à facie furoris Domini.

^d Ezech. 8.
^e Jerem. 25-8

Sed quid est, Domine jam sætet, quatruiduanus est enim? Fortè enim foetorem istum & quatuor dies istos non continuo quivis intelligat. Ego primam arbitror timoris diem, qua nimirum irradiante cordibus nostris peccato morimur, & quodammodò sepelimur in conscientiis nostris. *Secunda* (nisi fallor) agitur in labore certaminis, solet nempe inter primordia conversionis acrius insurgere tentatio prævæ consuetudinis, & vix extingui possunt jacula ignita diaboli. *Tertia* nihilominus doloris, etiam videtur, dum recogitat quis annos suos in amaritudine animæ suæ, & nec tam laborat declinando futura, quàm præterita plangendo deplorat. Miraris quod hos dixerim dies? Sed sepulturæ debentur dies nebulæ & caliginis, dies luctus & amaritudinis. Sequitur *dies pudoris* non dissimilis tribus, quando jam horribili confusione operitur anima miseranda, dum nimis considerat quæ & quanta deliquerit, & in oculis cordis tetras versat imagines peccatorum. Animus huiusmodi nihil dissimulat, sed dijudicat, sed aggravat, sed exaggerat universa: non sibi parcit durus iudex in semetipsum. Utilis quidem exacerbatio: & digna miseratione crudelitas: facilè sibi divinam concilians gratiam: dum pro eo mens æmularur etiam contra seipsam. Veruntamen Lazare veni foras; ne in tanto foetore diutius immoreris. Caro putida putredini proxima est: & qui confunditur vehementius & tabescit, prope est ut desperet. Propterea Lazare veni foras. Abyssus abyssum invocat: abyssus luminis & misericordiæ, abyssum miseriæ & tenebrarum. Maior illius bonitas quam iniquitas tua: & ubi peccatum abundat, superabundare gratiam facit. *Lazare*, inquit, *veni foras*. Ac si manifestius dicat, quousque conscientiæ tuæ caligo te detinet? quandiu in cubiculo tuo gravi corde compunge- ris? Veni foras, procede, respira in lucem miserationum mearum, hoc enim est quod in Propheta legisti ^f: *Infranabo os tuum laude mea, ne pereas*. Evidentius quoque Propheta alius de seipso ^g: *Ad me ipsum*, ^g Psal. 41. b inquit, *anima mea turbata est, propterea ero memor tui*.

Lazari quatruiduanam & resuscitati peccatorem penitentis comparatio.
Resuscitantis seu resuscitandi peccatoris 4. dies mystici.

Dei infinita bonitas ad erigendos peccatores.

Peccatoris iam resuscitati statum.

Jam verò quid sibi vult quod ait: *Tollite lapidem*, & post pauca: *solvite eum*? Nunquid post visitationem gratiæ consolantis cessabit agere poenitentiam, quoniam appropinquavit regnum cælorum: aut abjiciet disciplinam: ne forte irascatur dominus, & pereat de via justa? Absit hoc. Tollatur lapis, sed poenitentia maneat, non jam premens & onerans, sed

Sermones S. Bernardi.

Y y

vividam

b Tim. 1. b

i Psal. 15. c

k Ibidem.

Redit ad sole-
mnia assum-
pta Virg.Quam arduū
loqui de lau-
dibus Virg.m Matt. 11.
Quid unicè
mirandum &
summè lau-
dandum in
Virgine, nem-
pè quod Ma-
ter simul &
Virgo.

vividam & robustam mentem roborans atque confirmans! nimirum cu-
jus cibus sit (quem antea nesciebat) Domini facere voluntatem. Sic &
disciplina non jam constringit liberum, secundum illud ^b: *Iustis non est*
lex posita: sed voluntarium regit & dirigit in viam pacis. Super hac La-
zari suscitatione manifestius psallit Propheta ⁱ: *Non derelinques animam*
meam in inferno, quia, ut dixisse memini secundo huius festivitatis die, in-
fernus quidam, & carcer animæ, rea conscientia est. *Nec dabis sanctum*
tuum (non suum ipsius, sed tuum utique, quem ipse sanctificas) *videre*
corruptionem ^k. Corruptioni siquidem proximus erat quatruiduanus qui
cœperat jam fœtere. Propè erat, ut penitus dissolveretur, & veniens in
profundum malorum contemneret impius, sed præventus voce virtutis &
ab ea vivificatus gratias agit dicens ^l: *Notas mihi fecisti vias vitæ, adim-*
plebis me lætitia cum vultu tuo. Ad ipsius siquidem contemplationem evo-
casti & eduxisti ab inferno animam meam: dum anxaretur super me
spiritus meus: intuens conscientia propriæ faciem nimis abominandam,
Clamavit, inquit, *voce magna, Lazare veni foras*. Magna utique voce, non
tam sono clamoso, quàm pietate & virtute magnifica.

Sed quo devenimus? Nunquid non supra cœlos virginem prose-
quebamur euntem? Et ecce cum Lazaro descendimus in abyssum. A
splendore virtutis, ad fœtorem quatruiduani proclivis decurrit oratio. Cur
hoc nisi quia pondere proprio ferebamur: & trahebat nos materia, tan-
to uberior utique, quanto familiarior? Fateor imperitiam meam: pu-
sillanimitatem propriam non abscondo. Non est equidem quod me ma-
gis delectet, sed nec est quod terreat magis quam de gloria Virginis Ma-
riæ habere sermonem. Ut enim fileam interim ineffabile privilegium
meritorum, & prærogativam penitus singularem, tanto eam devotionis
affectu amplectuntur, honorant, suscipiunt (ut dignum est) universi, ut
licet de ea loqui gestiant omnes: tamen quicquid dicitur de indicibili, eo
ipso quod dici potuerit, minus gratum sit, minus placeat, minus accepte-
tur. Quidni minus sapiat, quicquid de incomprehensibili gloria com-
prehendere potuerit mens humana? Ecce enim, si in ea laudavero *virgi-*
nitatem, mihi multæ virgines post eam videntur offerri. Si *humilitatem*
prædicavero, invenientur forte vel pauci qui (docente Filio eius ^m) *mites*
facti sunt, & *humiles corde*. Si magnificare voluero *misericiordiæ* eius mul-
titudinem, sunt aliqui *misericiordiæ* viri, etiam & mulieres. Unum est,
in quo nec primam similem visa est, nec habere sequentem, gaudia Matris
habens cum virginitatis honore. Optimam partem elegit sibi Maria.
Optimam planè: quia bona fœcunditas conjugalis, melior autem castitas
virginalis; prorsus autem optima est fœcunditas virginea, seu fœcunda
virginiæ

virginitas. Mariæ privilegium est, non dabitur alteri, quia non auferetur ab ea. Singulare est: sed continuo etiam indicibile invenitur, ut nemo assequi possit, sic nec eloqui quidem. Quid si & illud adjicias, cuius mater? Quæ jam poterit lingua, etiam si angelica sit, dignis extollere laudibus Virginem Matrem? Matrem autem non cuiuscunque, sed Dei? Duplex novitas, duplex prærogativa, duplex miraculum, sed digne prorsus aptissimeque conveniens. Neque enim Filius alius Virginem: nec DEUM decuit partus alter.

*Sed imprimis
quia Mater
DEI.*

Veruntamen non hoc tantum, si diligenter attendas, sed cæteras quoque virtutes singulares prorsus invenies in Maria, quæ videbantur esse communes. Quæ enim vel angelica puritas virginitati illi audeat comparari quæ digna fuit Spiritus sancti sacrarium fieri, & habitaculum Filii Dei? Si rerum præcia de raritate pensamus, quæ prima in terris angelicam proposuit ducere vitam, super omnes est; *Quomodo*, inquit, fiet istud quoniam virum non cognosco? Immobile propositum virginitatis, quod nec Angelo Filium promittente aliquatenus titubavit. *Quomodo*, inquit, fiet istud? Neque enim eo modo quo fieri solet in cæteris. Virum penitus non cognosco nec filii desiderio, nec spe prolis.

*Virtutū quoque privilegio
eminet Maria.
Puritas eius
rara.
Luc. I. C*

Humilitas singularis.

Quanta verò & quàm preciosa humilitatis virtus cum tanta puritate, cum innocentia tanta, cum conscientia prorsus absque delicto, immo cum tantæ gratiæ plenitudine? Unde tibi humilitas & tanta humilitas ô beata? Digna planè quam respiceret Dominus, cuius decorem concupisceret rex, cuius odore suavissimo ab æterno illo paterni sinus attraheretur accubitu. Vide enim quàm manifestè sibi concinant Virginis nostræ canticum, & nuptiale carmen: nimirum cuius uterus, sponsi thalamus fuit. Audi Mariam in Evangelio: *Respexit*, inquit, humilitatem ancille suæ. Audi eandem in epithalamio: *Cum esset rex*, inquit, in accubitu suo: *nardus mea dedit odorem suum*. Nardus quippe herba humilis est, & pectus purgat; ut manifestum sit humilitatem nardi nomine designari, cuius odor & decor invenerit gratiam apud Deum.

** Ibidem.
Cant. I. d*

*Misericordia
Virg. admirabilis.*

Sileat misericordiam tuam Virgo beata, si quis est, qui invocatum te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. Nos quidem servuli tui cæteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hac potius nobis ipsis. Laudamus Virginitatem; Humilitatem miramur; sed Misericordia miseris sapit dulcius; misericordiam amplectimur charius; recordamur sæpius; crebrius invocamus. Hæc est enim quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetravit. Constat enim pro universo genere humano fuisse sollicitam, cui dictum est *1*: *Ne timeas Maria: inveni nisi gratiam*, utique quam quærebas. Quis ergo misericordiæ tuæ ô benedi-

*q Luc. I. a
Misericordia
Virginis pul-*

*shra commen-
datio.*

nedicta, longitudinem & latitudinem, sublimitatem & profundum queat investigare? Nam longitudo eius usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis. Latitudo eius replet orbem terrarum: ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sic & sublimitas eius civitatis supernæ invenit restaurationem, & profundum eius sedentibus in tenebris & in umbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cœlum repletum: infernus evacuatus est: instauratæ ruinæ cœlestis Hierusalem: expectantibus miseris vita perdata data. Sic potentissima & piissima charitas & affectu compatiendi, & subveniendi abundat effectu, æquè locuples in utroque.

*Invocatio
B. V.*

Ad hunc igitur fontem sitibunda properet anima nostra. Ad hunc misericordiæ cumulum tota sollicitudine miseria nostra recurat. Ecce jam quibus potuimus votis ascendente te ad Filium deduximus, & profecuti sumus saltem à longè, Virgo benedicta. Sit pietatis tuæ ipsam quam apud Deum gratiam invenisti, notam facere mundo; reis veniam, medelam ægris, pusillis corde ruborem, afflictis consolationem, periclitantibus adjutorium & liberationem sanctis tuis precibus obtinendo. In hac quoque die solennitatis & lætitiæ dulcissimum *MARIÆ* nomen cum laude invocantibus fervulis, per te Regina clemens, gratiæ suæ munera largiatur Jesus Christus Filius tuus Dominus noster: qui est super omnia *DEUS* benedictus in sæcula, AMEN.

IN ASSUMPTIONE B. MARIÆ. VIRG.

SERMO V.

Intravit Iesus in quoddam castellum^a.

Luc. 10. g

*Tria in oppi-
dis necessaria
ad incolarum
defensionem.*

Quod Dominus ac Salvator noster semel & in uno loco visibiliter tunc temporis dignatus est operari; hoc etiam nunc ubique terrarum in cordibus electorum operatur quotidie invisibiliter. Ecce enim Evangelio loquente audivimus, quòd *in quoddam castellum intravit Iesus, & mulier quadam Martha nomine excepit illum: & reliqua.* Quod est autem hoc castellum, nisi cor humanum, quod priusquam Dominus ad illud veniat, cupiditatis fossa vallatur, muròque obstinationis clauditur, atque in interiori latitudine sua Babylonica turre erigitur? Tria certè in omni oppido sunt maximè necessaria: *virtualia* quibus sustententur, *munitio* qua protegantur, *arma* quibus hostibus resistent. Sic ergò & huius castelli incolæ victum habent *voluptatem* corporis, & sæculi *vanitatem*, quibus pascuntur. Habent & qua teguntur proprii cordis duritiam; ut verbi Dei sagittis potentibus vix aut nunquam penetrari valeant. Accincti sunt *armis*, carnalis scilicet Sapientiæ argumentis, quibus con-

tra

tra hostes repugnant. Unde scriptum est ^b : *Filii huius seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* b Luc. 16. b

At verò Christo visitante & intrante castellum hoc evertitur, & pro eo novum aliud pulchrum ac spirituale construitur: impleturque quod dicitur: *Si qua in Christo nova creatura, vetera transferunt: & ecce facta sunt omnia nova.* Sublata quippe cupiditate expanditur ingens sinus desiderii; ut ad eius adventum multò magis anhelet mens ad cœlestia, quàm prius terrenis incubuerat. Jam ponitur murus continentia, antemurale patientia. Surgit autem hoc opus à fundamento Fidei, & crescit per dilectionem proximi usque ad charitatem Dei, quæ est in superiori tabulatu, & in propugnaculis eiusdem muri: quia nimirum tunc perfecta est virtus continentia, quando in unitate fidei cum proximis communiter viventes, non supplicii metu, vel humanæ laudis appetitu, sed solo divini amoris obtentu à peccatis nos continemus. Vel certè ideo charitas Dei (qua scilicet nos diligit) super murum esse videtur, ut pro continenti suo pugnare significetur, & quia continentia crebris validisque tentatoris ictibus resistere non possit, nisi eius gratia protegatur. Idcirco enim antemurale patientia ponitur, ne ad impugnandam continentiam facilis diabolo pateat accessus. Qui ergo protegente patientia continenter vivunt: ipsi bene cum Apostolo protestantur & dicunt ^d: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia: an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Vides quàm solidus sit continentium murus, quos neque mors, neque vitæ, neque Angeli, neque principatus, neque potestates, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque sortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura aliqua potest separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu.* e 2. Cor. 5. d

Eversio castelli veteris & erectio novi per Christum. Murus Continentia. Antemurale Patientia.

^d Rom. 8. g

Sed jam pulsemus ad eius portas scilicet iustitiæ; ut aperiantur nobis, ingressique per eas videamus intus magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius. Ibi enim operante ipso construitur tanquam in monte Sion Evangelica illa turris, per quam humiliatio corde ascendunt in cœlum Sancti de convalle plorationis. Ascendunt, inquam, non virtute sua, sed auxilio & gratia Dei: sicut ait Spiritus sanctus per Prophetam David: *Beatus vir cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit.* Quæris, ubi? In convalle plorationis, h. e. in humilitate vitæ præsentis. Et eandem ipsam gratiam replicat dicens: *Etenim benedictionem dabit legislator.* Quo autem pertingat ascensus, vel ad quem fructum perducant ascendentes ipsa gratia, protinus subiungit: *Ibunt, inquit, de virtute in virtutem: videbitur DEVS deorum in Sion.* Hæc est merces & hic est finis & fructus nostri laboris, visio scilicet Dei. Quis non hunc tantum e Psal. 83. b*

^f Ibidem.

tantum fructum rebus omnibus visibilibus & invisibilibus incomparabiliter præferat? Quis est, cuius vel gelidum pectus hoc desiderium non accendat? Hæc est enim illa gratia quam nobis commendat beatus Joannes Evangelista dicens *g* : *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus ; & gratiam pro gratia.*

Ex quibus scilicet verbis innuitur quod triplicem gratiam divinitus accepimus : *unam* qua convertimur : *aliam* qua in tentationibus adiuvamur : *tertiam* qua probati remuneramur. Prima nos initiat, per quam vocamur : secunda provehit, qua justificamur : tertia consummat, qua glorificamur. Et prima quidem beneplacitum est : secunda meritum : tertia præmium. De prima dictum est, *Et de plenitudine eius omnes accepimus*, de duabus reliquis dictum est : *& gratiam pro gratia* : id est munera gloriæ æternæ pro merito temporalis militiæ. Sit ergo *prima* gratia in muro continentiæ ad quam vocamur : sit *secunda* in ascensu turris quam ascendimus : sit *tertia* in eius culmine quo pervenimus. Hic itaque id est in hoc culmine cum ad illud perveniunt qui bene proficiunt, sicut jam locus & sedes Domino, de qualibus scriptum est *b* : *Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini testimonium Israel, ad consistendum nomini Domini : quia illic sederunt sedes in iudicio.* Et quidem dum adhuc erant in muro continentiæ & in acie stabant, impugnari poterant, & primo tanquam adjutor notus erat in Judæa Deus : cum vero jam in ista statione consistunt ubi Dominum specularunt, in Israel magnum nomen eius, & factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion. Ibi confregit potentias, arcum, scutum, & gladium, & bellum : quia ibi nullus motus carnis resistit, sed omnimodis subjecta est spiritui. Hunc locum ardentè desiderabat Propheta cum diceret *c* : *Si dederò somnum oculis meis & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis donec inveniam locum Domino.* Huic etiam volare cupiens, *Quis*, inquit *d*, *dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam.*

Jam vero si quærat de castelli huius habitatoribus, qui cibus ad sustentandum, quod munimen ad protegendum, quæve arma suppetant ad repugnandum, possumus satis rationabiliter respondere, quod quemadmodum carnalibus carnis opera fuerunt victus : ita his multo melior cibus sit fructus spiritus. Cibus etiam eorum est ut faciant voluntatem Patris omnipotentis. Cibus eorum est verbum Dei, quo pascuntur omnes Sancti, tam homines quam Angeli. Unde scriptum est *e* : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Munimentum eorum est (sicut dictum est) murus continentiæ, & antemurale patientiæ. Habent contra hostes arma quæ describit Apostolus *f*, *loricam iustitiæ.*

*Quis cibus in-
colarum ca-
stelli spiritua-
lis seu homi-
num piorum.
Deut. 8. a
& Matt. 4. a
Eph. 6. c*

In Assumptione B. Mariæ, Sermo V. 361

scitia, scutum fidei, galeam salutis, & gladium spiritus, quod est verbum DEI.
 Nec quemquam moveat: quod idem verbum dixerim esse & cibum &
 gladium: quasi impossibile vel absurdum sit. In rebus quidem mate-
 rialibus aliud hoc, aliud est illud: & alibi queritur hoc, alibi illud. In re-
 bus vero spiritualibus non aliud hoc est, quàm illud: nec alibi quæritur
 hoc, alibi illud, sed omnia sunt nobis in Deo, & est Deus omnia in nobis.
 Ecce enim in natura rerum quid tam diversum quàm panis & lapis? &
 tamen si ad intellectum mysticum referas, utrumque idem significat.
 Nam idem Christus est dictus & panis & lapis: panis scilicet vivus: &
 lapis quem reprobaverunt ædificantes. Utrumque quidem est per si-
 gnificationem, licet neutrum sit per proprietatem.

n Ioan. 6.
o Act. 4. b

Sed jam revertamur ad propositum. Intrante JESU in hoc castel-
 lum, duæ sorores Martha & Maria, id est Operatio & intellectus, exci-
 piunt illum. Excipiunt dixerim: an excipiuntur? Sed sive hoc, sive
 illud dicatur, utrumque prodest illis, non JESU. Et JESUS quidem cum
 ad illas venit, duo confert eis congruentia singulis; *Virtutem & Sapien-*
tiam. Virtutem operationi: sapientiam intellectui. Unde etiam ab
 Apostolo prædicatur Dei virtus & Dei Sapientia. Sed quid est, quod
 intransentem eum Martha excipit, discurret, ministrat: Maria verò secus
 pedes sedens ingressi, in eius verbum cor suspendit, nisi quòd prius est
 Actio, postea verò Contemplatio? Quisquis enim ad intelligentiam per-
 venire desiderat, profecto necesse est ut prius per omnia bona sese diligen-
 ter exerceat, sicut scriptum est: *Fili concupiscens sapientiam, conserva*
iustitiam: & Deus præbebit illam tibi. Et alibi: *A mandatis tuis intel-*
lexi. Et *fide purgans corda eorum.* Qua fide? Fide per dilectionem o-
 perante. Habet Martha (dum agit) formam bene operantis, Maria verò
 speciem exprimit contemplantis, dum sedet, dum tacet, dum interpella-
 ta non respondet: sed tantum in Dei verbum toto mentis studio inten-
 dit, ac solam quam diligit gratiam divinæ cognitionis cætera respuens
 medullitus haurit: foris que velut insensibilis redditur, dum intus ad con-
 templanda Domini sui gaudia foelicissime rapitur. Sine dubio talis est
 illa, quæ in canticis loquitur: *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Prosequitur
mysticam ex-
positionem re-
ctus.

p 2. Cor. 1. d

q Eccl. 1. d
r Psal. 118. n
s Act. 10. c

t Cant. 5. a

DEVM duo
nobis aufe-
runt; duo red-
dunt.

u Rom. 6. d
tati

Duobus autem modis Martha excipit Dominum, & duplex ei con-
 vivium parat, quia duobus modis excluderat eum. Duo quippe sunt
 in operatione, quæ nobis Deum auferunt, flagitia scilicet & facinora.
 Flagitia dicimus scilicet quæ in nobis, facinora quæ in proximos peccan-
 do committimus. Item sunt duo quæ Deum reddunt, continentia & be-
 nevolentia: ut scil. ex contrariis contraria curentur. Hinc enim scri-
 ptum est: *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniqui-*

tati ad iniquitatem, ita & nunc exhibete ea servire iustitia in sanctificationem. Dum ergo parandis talibus epulis occupatur Martha multum fatagens pro parte sua, vult etiam Mariam, id est intellectum & omnia interiora sua actioni insistere, operique suo perficiendo operam dare. Itaque conqueritur de sorore quod ab ea non adiuvetur, non tamen ad ipsam, sed potius ad Dominum querelam dirigens. *Domine non est tibi cura quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi ut me adiuvet.* Ubi sanè advertenda est delatio quædam, & honoris obsequium erga Dominum; quod scilicet ipso præsentem non sit ausa Martha evocare Mariam, quin immò & apud ipsum querelam deposuerit, ipsúmque Dominum vocaverit, in cuius potestate sit imperare sorori quicquid necesse fuerit. Non ergo miremur si quempiam laborantem & bene operantem adversum fratrem vacantem murmurare videamus, quia hoc in Evangelio legimus Martham fecisse adversus Mariam. Quòd autem Maria quandoque murmuraverit adversus Martham, eo quod eius actionibus implicari vellet, nusquam omninò reperitur. Neque enim utrumque simul agere competenter sufficeret, & curis scilicet exterioribus deservire, & internis Sapientiæ desideriis vacare. De ipsa quippe Sapientia scriptum est ¹: *Et qui minoratur actu, percipiet illam.* Propterea Maria sedet, immotàque manet, nec vult interrumpere silentii quietem, ne jucundam amittat contemplationis dulcedinem: præsertim cum intus ipsum audiat Dominum dicentem ²: *Vacate & videte quoniam ego sum Deus.*

*Querimonia
Marthæ ad-
versus Ma-
riam.*

¹ Eccli. 38. c

² Psal. 45. b

*Tria que con-
templationem
impediunt.*

*Tria videndi
impedimenta.*

*Visionis exte-
rioris obstacu-
la; tenebræ,
humor, pulvis.*

Hic sanè considerandum est tria esse quæ impediunt contemplationem. Equidem animæ nostræ oculus, intelligentia est. Sicut enim oculo corporis lux corporea & cætera quæque corporalia videntur; ita Deus, qui est lumen incircumscripsum, & eius invisibilia utcumque intellectu percipiuntur. Differunt autem in hoc exterior & interior oculus, quòd exteriori quidem corporea lux extrinsecus, ut videat, admovetur; interiori verò Creatoris lumen intrinsecus, ut discernat, infunditur. Utrumque vero oculum tria sunt quæ ad videndum impediunt. Primum ergo de exteriori atque visibili differat ratio nostra, ut de rebus visibilibus ordine disputandi facilius adsurgat ad intelligibilia. Potest sanè fieri ut ille sanus sit & pateat; sed quoniam lux exterior ei desit, nil videat. Contrario fit aliquandò, ut præsens quidem ei lux sit; sed fortè sanguine seu quolibet humore concreto turbatus, cernere minimè possit. Iterum solet plerumque contingere, ut neutrum desit ei, nec lux, nec salus, sed tamen aliqua pulveris injectione lædatur, quo fit ut eius acies retundatur. Sunt ergo tria quæ hunc oculum impediunt, tenebræ, humor concretus, pulvis injectus.

Hæc

In Assumptione B. Mariæ, Sermo V. - 363

Hæc ipsa sunt etiam quibus interior oculus impeditur, sed alia nomina sortiuntur. Nam quod hic tenebræ, ibi peccata dicuntur. Ipsa vero peccata confluunt in memoriam quasi in quandam sentinam: & hic est ille humor concretus. Quod autem hic pulvis dicitur, hoc tibi cura terrenorum actuum nuncupatur. Hæc igitur tria sunt quæ oculum intelligentiæ confundunt, atque à contemplatione veri luminis excludunt: tenebræ scilicet peccatorum: recordatio eorundem peccatorum: cura terrenorum actuum. Primo illo morbo turbatum se plangebatur Propheta cum diceret ^a: *Dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum.* Cum enim luce justitiæ destituimur, nil aliud quam peccatorum nostrorum tenebras invenimus. Item secundo se gravari sentiebat cum dicebat ^b: *Conversus sum in arumina mea dum configitur spina:* peccatorum scilicet recordatio. Tertio occupari se conqueritur cum dicit ^c: *Quia cinerem tanquam panem manducabam.* Cinerem scilicet actionis pro pane contemplationis. Quicumque ergo mentis oculum divinæ contemplationi vult intendere, profectò necesse est, ut eum prius ab hoc triplici impedimento studeat purgare. Quod si quis facere contendat, noverit contra triplicem morbum triplex quoque fore remedium. Nam primus quidem per confessionem, secundus per orationem, tertius curatur per quietem. Hoc tertio, id est cura actionis poterat ab intentione sua præpediri Maria. Ideoque ministrante Martha sedet ipsa, manetque quieta.

Totidè interioris; peccata, eorum memoria, & terrenorum cura.

^a Psal. 37. b

^b Psal. 31. a

^c Psal. 101. b

Ad hoc triplici imped. purgandus oculus contemplationi vacaturus.

Illa igitur conquerente, & ista tacente, audiamus quid Dominus pro Maria responderit. *Martha, Martha, inquit, sollicita es, & turbaris erga plurima.* Erga plurima quidem turbaris, dum & tibi continentiam, & proximis paras necessitatis impensam. Nam ut continentiam habeas, sollicita es vigilare, jeiunare, corpus tuum castigare. Ut cæteris præstes, instas operi, ut habeas unde tribuas necessitatem patienti. Porro erga hæc plurima turbaris, sed unum est necessarium. Nisi enim opus tuum in unitate feceris, Deo, qui unus est, acceptum (teste ipso) profectò non erit. Scriptum quippe est ^d: *Non est qui faciat bonum, non est usque ad nunum.* Hinc est quod in illa piscina movebatur aqua, & sanabatur unus ^e. Hinc est quod decem leprosis mundatis, unus regressus est cum magna voce magnificans Deum ^f. Cui etiam Dominus cæteris reprobatis, testimonium laudis adscribit dicens: *Nonne decem mundati sunt, & novem ubi sunt? Non est inventus qui rediret & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Paulus quoque ait: *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium* ^g.

^d Psal. 13. a

^e Ioan. 5. a

^f Luc. 17. d

^g 1. Cor. 9. d

His itaque & aliis quamplurimis scripturarum eloquiis perspicuè doce-

mur quàm unitas probabilis sit, maximè autem ex præfenti loco, ubi Dominus ait: *Porro unum est necessarium.*

Unitas quædam laudabilis, quædam damnabilis.
h Psal. 2. a
i Matt. 22. b
k Ioan. 11. f

l Job. 41. a

Unitas perversa quorundam religiosorum perstrigitur.

Unitas bona duplex.
m Act. 4. f
n 1. Cor. 6. d

o Ps. 132. a

p Eph. 4. a

Unitas bona servatur duobus modis erga seipsum, &

Sed sciendum quòd alia est unitas Sanctorum, quam ex Scripturis jam commendavimus. Alia est facinorosorum, quæ nihilominus ex eisdem Scripturis ostenditur & improbat. De hac enim scriptum est ^b: *Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adversus Dominum & adversus Christum eius.* De hac iterum Evangelista ⁱ: *Abeuntes Pharisæi concilium inierunt ut caperent Iesum in sermone.* Et iterum ^k: *Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium, Ut quid hoc? Sicut Joannes testatur, ut interficerent Iesum.* Quàm verò pertinax sit ista reproborum unitas, docet ipse Dominus qui de corpore Diaboli ad beatum Job loquitur dicens ^l: *Corpus illius quasi scuta fusilia & compactum squammis se prementibus. Vna uni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas. Vna alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur.* Talis unitas, immò verò perversitas solet esse aliquorum fratrum tepidè ac remisè conversantium: quibus si quid honestatis, aut insigne cuiusquam bonæ consuetudinis persuadere velis, promptiores sunt maiori dispendio, ac difficultate graviore resistere; quàm facili compendio assequi velle, quod rectum esse constiterit. Perversa & execranda talis unitas.

Hac ergo à cordibus & sermonibus nostris exclusa, illam quæ bona est, & tantum bonorum est, persequamur. Et ipsa quidem gemina est, *Alia est enim quæ justificat, alia quæ glorificat.* Illa meritum, ista præmium est. Denique de illa scriptum ^m: *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una.* De hac autem ⁿ: *Qui adheret Domino, unus spiritus est.* Et quoniam in futuro magis speranda est (res est enim futuri temporis magis quam præsentis) eam interim omittamus, & à Deo speremus potius quam tractemus. Illam verò quæ justificat, quæ etiam nunc potissimum necessaria est, in usum nostri operis assumamus. Ipsa est enim decus suavitatis, quam dulcedine sacra insonat Psalmista ^o: *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in unum.* Cuius unitatis cum descripsisset sermo Propheticus pulchritudinem, eius etiam non tacuit utilitatem: *quoniam illic, inquit, mandavit Dominus benedictionem & vitam, hîc scil. benedictionem, & in futuro sæculo vitam æternam.* Ipsa est, inquam, unitas quam summa diligentia observandam tradidit Apostolus, dicens: *Soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis* ^p.

Servatur autem hoc unitatis bonum duobus modis ab his qui curam gerunt servandi. Debet quisque perfectus unitatem habere *ad seipsum*: debet & *ad proximum*. Ad seipsum per integritatem, ad proximum per conformitatem. Omnis quippe creatura, & maximè rationalis, debet suum

suum principium imitari. Si ergo Deus noster unus est, dicente Moysē ⁹ : *Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est*, sed & ille cum sit unus & idem, atque in seipso perfectus, nec ullo indigens, inest ei tamen benignitas erga nos, & amor ex benevolentia in nos veniens : debemus & nos quisque sibi unus esse per integritatem virtutis, & unum cum proximis per vinculum dilectionis. Hanc imitationem loquens de charitate commendat nobis Apostolus Joannes dicens ^r : *Quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo*. Sed hanc unitatem, quam quemque sibi ipsi diximus habere debere, tria sunt quæ solent impedire : *nimietas, pusillanimitas, levitas*. Et nimii quidem sunt qui putant se posse quod non possunt : & quod non acceperunt, præsumunt. Quorum speciem tenebat Petrus in Passione Domini, cum diceret ^s : *Domine, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire*. Pusillanimes contrarii sunt nimii. Et horum quoque tenuit imaginem Petrus, cum diceret ^t : *Exi à me, quia homo peccator sum Domine*. Leves sunt & inconstantes, qui circumferuntur omni vento doctrinæ : quibus quod paulò antè placuit, nunc displicet : & quod nunc eligunt, post paulum reprobant.

Sed quid prodest hæc vitia enumerasse, nisi etiam doceamus quibus remediis ea possit quisque in semetipso curare ? Persequamur unitatis inimicos, nec convertamur donec deficient. Igitur contra *nimietatem* opponenda est consideratio propriæ fragilitatis. Ipsa enim est quæ odiosam præsumptionem potissimum dejicit. Contra *pusillanimitatem* habenda est divinæ fiducia potestatis, ut quod tuis viribus non posse putas, ex illius adiutorio possis, & cum Apostolo dicas ^u : *Omnia possum in eo qui me confortat Domino Iesu Christo*. Contra *levitatem* adhibenda est consultatio senioris, scilicet, ne doctrinis variis & peregrinis abducaris : sed facias quod lex divina præcipit : Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi : maiores tuos, & dicent tibi.

Diximus de illa unitate quam habet quisque ad seipsum, dicamus & de illa quam habet ad proximum. Sed illa duobus modis habetur, dum & nos per dilectionem tendimus in alterum : & alterius quoque vicissim in nobis recipimus affectum. Et hæc etiam duobus modis impeditur, obstinatione & suspicione. Obstinatio non permittit nos ad alterius cor ingredi, nec suspicio patitur credere nos ab aliis amari. Ita fit, ut dum nec nos alium obstinati diligimus, nec nos ab aliis diligi suspiciosi putamus : unitas quæ cum proximis habenda est, impediatur. Verùm huic duplici morbo duplex charitas medetur, illa scilicet, quæ non sua quærit ; & iterum illa, quæ omnia credit. Habeat obstinatus charitatem non quærentem quæ sua sunt, & alios diligat. Habeat suspiciosus charitatem omnia cedentem, & ab aliis se diligi sine dubio credat.

⁹ : erga proximum.
^q Deut. 6. a

^r 1. Ioan. 4. d
Tria quæ unitatem ad seipsum impediunt.

^s Luc. 22. c

^t Ibid. 5. b

Vitia unitati inimica quomodo curanda.

^u Phil. 4. e

Unitas ad proximum duobus modis habetur & totidem impeditur.

Remedium à charitate.